



raculum hoc divinum, luce quidem sua radians, exceptionibus tamen multorum obnoxium, pro virium mearum tenuitate, primum quidem ἐξηγητικῶς, tum vero πορισματικῶς, grauibus de caussis, explicare constitui. Quamuis vero non ignorem, & B. SCHMIDIVM, & B. NEVMANNVM, superiore iam tum saeculo, egregiam, in oraculo hoc, navasse operam, ita quidem, ut, quid, de toto hoc argumento, sentiendum sit, constare possit: quia tamen & scopus meus longe latior, quam eorum, est, & oraculum novos hinc inde insultus, quibus utique resistendum est, patitur; nemo, spero, id mihi vertet vitio, si, mea etiam qualicunque opera, rem, quam proposui, fuero persecutus. Quod ut feliciter euenire iubeat, meamque, hac in parte, imbecillitatem benigne subleuet, immortalem Deum oro, venerorque. Sit itaque

SECTIO I. EXEGETICA.

§. I.

Postquam Seruator Judæorum doctores, in arduo satis argumento, de persona sua, ad silentium redegerat, suboriebatur procul dubio ille, in animis eorum, qui magno numero affuerant, scrupulus, numne amplius digni essent Phari-